



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

117. Leprosus tactu sanatur à Christo.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)



I. **F**actum est, cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Phariseorum sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum. Et ecce homo quidam hydropticus erat ante illum. *Luc. 14. v. 1. & 2.*

II. Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos, & Phariseos, dicens: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. *Luc. 14. v. 3. & 4.*

III. Et respondens ad illos, dixit: Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. *Luc. 14. v. 5. & 6.*

*Leprosi.*

**MEDITATIO CXVII.**

*Leprosus tactu sanatur à Christo.*

I. **C**um descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. *Matth. 8. v. 1.* Et factum est, cum esset in una civitate, *Luc. 5. v. 12.* venit ad eum leprosus, *Marc. 1. v. 40.* vir plenus leprâ, & videns IESUM, *Luc. 5. v. 12.* adorabat eum, *Matth. 8. v. 2.* genu flexo, *Marc. 1. v. 40.* & proci-  
dens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine.



ne, si vis, potes me mundare. *Luc. 5. v. 12.*

II. IESUS autem misertus ejus, extendit manum suam; & tangens eum, ait illi: Volo. Mundare. *Marc. 1. v. 41.* Et confestim mundata est lepra ejus. *Matth. 8. v. 3.* Confestim lepra discessit ab illo. *Luc. 5. v. 13.* Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. *Marc. 1. v. 42.*

III. Et comminatus est ei, statimque ejecit illum, & dicit ei: Vide, nemini dixeris. *Marc. 1. v. 43. & 44.* Ipse præcepit illi, ut nemini diceret, sed; Vade, ostende te sacerdoti, (principi sacerdotum, *Marc. 1. v. 44.*) & offer pro emundatione tua, (munus, quod præcepit, *Matth. 8. v. 4. &*) sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. *Luc. 5. vers. 14.*

IV. At ille egressus cœpit prædicare, & diffamare sermonem. *Marc. 1. v. 45.* Perambulabat autem magis sermo de illo: *Luc. 5. v. 15.* ita ut jam non posset manifestè introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset. Et conveniebant ad eum undique *Marc. 1. v. 45.* turbæ multæ, ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat. *Luc. 5. v. 15. & 16.*